



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXVIII. Argumentum. Decem motiva, rationes, ac argumenta, quibus Parochi suadebunt fidelibus, ut omninò caveant à perjuriis, falsisque juramentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

DECISIO LXVII.

ARGUMENTUM.

An retardata solutione legati pii, à testatore in pecunia soluti, possit legatarius exigere prodia ad rationem quinque cum dimidio pro centenariio ab hæredibus, seu Commissariis ejusdem testatoris absque labe Usuraria?

S U M M A R I U M.

1. Prodia ex legato pecuniario non soluto an licet exigenda?
2. Opinio negativa. Affirmativa num. 7.
3. Pecunia non parit pecuniam.
4. Legatarii quando possint prætere fructum ex legato?
5. Damna, & interesse debetur à debitore moroso.
6. Pecunia investienda si non investitur, debetur interesse.
8. Interesse, & damnum non est usura.

ANno 1687. obiit R. D. Antonius Rimundus Parochus S. Gregorii de Padua, testamento prius condito, in quo ordinavit Commissario suo Nob. D. Aloysio Trivisano, ut Ven. Congregationi Parochorum consignaret Ducatos mille, [quos in tot Ducatinis Venetis argenteis habebat in quadam capla,] per eandem Congregationem investiendos, & dandos ad livellum; ex cujus canone quinque anniversaria cum Missa solenni, ac Missis privatis de Requie in eadem Ecclesia S. Georgii per omnes sacerdotes de Congregatione celebrandis, annuatim pro anima sua fierent. Supradictus Commissarius eosdem mille Ducatos argenteos in proprium usum convertit, promittens Ven. Congregationi, donec, & quousque illos consignaret, solvere ducatos quinquaginta quinque annuatim, prout de facto illos solvit, per nonnullos annos. Dubitatum fuit, an Ven. Congregatio licet exigere eosdem Ducatos 55. absque Usuraria labe? Consimilem Casum ponit Reverendissimus Pignatellus Jurisconsultus, ac Theologus Romanus in suis Consultationibus Canonici tom. 10. consult. 46. ita scribens: Pius Testator in hunc modum disposuit. Lego Patribus Religionis A. ex mea hereditate scuta viginti millia, ut Monasterium in meis aedibus construant. Queritur, an dictis Patribus, donec eis non solvantur dicta scuta viginti millia, debeantur aliqui fructus sine labe Usurarum? Et respondit, nullos fructus deberi. Ratio ejus opinionis negativa fuit; nam legatum est pecuniarium, unde legatarii habent tantum actionem ad pecuniam, pecunia autem nullum ex se fructum reddit, quia pecunia non creat pecuniam; ideoque non possunt prætere aliqui fructus sine labe Usurarum, ad text. in cap. Salubriter, de Usur. traditque Rota decis. 130. num. 1. & decis. 301. num. 4. part. 5. recent. Estque certum, quod creditor pecuniarum, ut consequi possit aliquod lucrum licitum, debeat probare adesse requisita Pauli de Castro in lib. 3. in fin. ff. De eo, quod certo loco; juxta opinionem Rotæ in Decis. 90. num. 3. part. 2. divers. Cum igitur in hoc casu ex pecunia legata testator jussit construi Monasterium, certè nec ob retardatam solutionem, neque ob non adimpletum opus, aut ob aliquem alium pretextum Patres legatarii possunt prætere lucrum, cum ipsi non sint passi aliquod damnum. Surdus Decis. 365. num. 39. & cons. 107. num. 24. lib. 1. Nec obstat, quod Doct. Clericali Tom. II. Lib. LX.

legatariis à die motæ litis debeantur fructus: nam id locum habet, quando res legata est ex se fructifera, ut si fuissent legata bona stabilia, vel loca montium, tunc enim pendente lite fructus debentur legatario: nos autem versamur in casu, in quo legata est pecunia, quæ non potest ex se parere fructus legatario, & ideo si Patres agerent pro fructibus, sine actione agerent, & esset manifesta Usura. Hucusque Pignatellus dict. tom. 10. consult. 46. à num. 41. usque in fin.

Sed hac doctrina non obstante dixi Nob. D. Aloysium Trivisanum Commissarium, & Executorem testamentarium jure solvisse, & fuisse obligatum solvere prodia Ducatorum mille Ven. Congregationi Parochorum, ipsamque Ven. Congregationem ea exegisse, ac exigere potuisse absque labe Usuraria; & ratio est, quia obligatus ad factum, si sit in mora, tenetur ad damna, & interesse. Rota part. 19. recent. decis. 207. num. 1. ubi text. ac DD. loquentes in facto ordinato per testatorem. Rota coram Cocchino, quam refert Gratian. discept. forens. cap. 540. & coram Dunoetto Juniori decis. 627. quæ fraternizat cum legato RR. Parochorum; siquidem ibi Testator ordinaverat, ut ab hærede investiretur pecunia in locis montium pro dotanda muliere, & quia hæres non fecit investimentum, Rota condemnavit illum ad damna, & ad quanti intererat, investimentum non fuisse factum. Sic in præsentī casu R. D. Antonius Rimundus Testator jussit executori testamentario dare illos Ducatos mille Ven. Congregationi Parochorum statim investiendos ad livellum, ut ex fructibus livellariis celebrarentur dicta quinque annua Anniversaria; cumque executor fuisset in mora solutionis legati, & Congregatio non potuisset investire dictam pecuniam, resultabat damnum, & interesse annuum Ducatorum 55. & ad hoc damnum, & interesse solvendum idem executor tenebatur. Nec poterat refricari labe Usuraria, quia Ducati 55. solvebantur non tanquam usuræ, sed tanquam fructus investimenti, seu livelli faciendi, ut docet Covaruvias Var. resol. lib. 3. cap. 2. num. 1. & decisum fuit in terminis hujus casus à Rota coram Orano posita post Merlin. de legitima decis. 29. & ab eadem Rota dict. part. 9. recent. decis. 207. num. 8. & 9. Novissimè, & strictissimè ad hunc casum Emin. Gardin. de Luca de Usuris. disc. 30. num. 5. disc. 31. num. 5. ac cæteris clariis disc. 32. num. 7. & ita practicum fuit, donec, & eo usque urgente Congregatione, eidem fuerunt soluti Ducati mille ab executore. Nec obstat casus Domini Pignatelli, quia in eo non agebatur de damno, aut interesse legatariorum ex dilata solutione legati.

DECISIO LXVIII.

ARGUMENTUM.

Decem motiva, rationes, ac argumenta, quibus Parochi suadebunt fidelibus, ut omnino caveant à perjuriis, falsisque juramentis.

S U M M A R I U M.

1. Juramentum debet fieri cum veritate, justitia, & iudicio.
2. Jurare falsum est gravissima Dei offensa.
3. Etiam in re levi.
4. Maledictiones Divina contra pejerantes.
5. Perjurium in iudicio quam grave sit?

6. Casus

6. Casus est reservatus Patavii.
7. Perjurium majus peccatum homicidio.
8. Falsi testis conscientia difficillime sanatur.
9. Falsus testis in criminalibus qua pena puniatur?
10. Falsus testis non absolvendus, nisi se retractaverit.
11. Restitutio damnorum facienda à falsis testibus.
12. Falsus testis sit infamis, & irregularis.
13. Falsi testes puniti à Deo etiam in hac vita.

Ut homines retrahantur à pejerando, & possint Parochi ab hoc piaculo eos retrahere, utile visum fuit, si Referantur argumenta, & rationes ad horrorem, ac terrorem incutiendum iis, qui falso jurant, præcipue in judicio.

1. **P**remiserunt ad majorem contra pejerantes invektivam, Juramentum esse quidem actum Religionis & licitum, S. Thom. 2. 2. quæst. 3. art. 4. dummodò tamen proferatur servatis tribus illis conditionibus, quæ notatz sunt per Jer. 4. 2. Jurabis: Vivit Dominus, in Veritate, in Judicio, & in Justitia. Veritas requirit, ut, quod asseritur, verum sit, & qui jurat, id ita esse arbitretur, non quidem temerè, aut levi conjectura adductus, sed certissimo argumento. Judicium expostulat, ut non juretur inconsideratè, sed consultò, & necessitate urgente. Justitia autem insinuat, ne quis injustum aliquid, vel inhonestum jurejurando promittat. Itaque si una ex his conditionibus deficiat, illicitum est juramentum, præcipue verò, si Veritas absit: siquidem qui falsò Deum testatur, insignem Deo injuriam facit, quippè qui aut insectiæ notam Deo inurit, dum ipsum alicujus veritatem latere arbitrat, aut certè improbitatis, aut pravi affectus, qui mendacium testimonio Dei velit confirmare. Catechism. Roman. part. 3. de 2. Præcept. Decal. à num. 11. & seqq.

His ita præmissis, dictum fuit, terrendos esse homines, ne audeant pejerare, eosque à tanto facinore retrahendos, ex sequentibus.

3. **P**rimò: Quia piaculum gravissimum est juramentum falsum, etiam si agatur de re levi; etenim gravissima injuria fit Deo, illum in testem vocando falsitatis, qui est summa, ac perfecta veritas. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 4. num. 2. Sanchez in Decal. lib. 3. cap. 4. num. 6. & 7. Etiam si jurans joci causa juraret. S. Th. 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2. & Sylvest. Verb. Perjurium, num. 3. & Verb. Juramentum. 6. quæst. 6.
4. **S**ecundò: Quia minatus est Dominus gravissimas penas contra pejerantes, ait enim: Neque enim habebit infontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra, Exod. 20. 8. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. Eccl. 23. 12. Et maledictio veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter. Zachar. 5. 4.
5. **T**ertiò: Quod si perjurium committatur in judicio, enormissimum crimen est, quia tres sunt, qui gravissimè uno actu offenduntur, scilicet Deus, Judex, & proximus. cap. 1. De Crimin. falsi.
6. **Q**uartò: Ideò perjurium in judicio, etiam officiosum, est Casus reservatus in hac Diocesi Patavina. Tabell. cas. reservator. num. 7.
7. **Q**uintò: Nec absque ratione; nam perjurium gravius peccatum est homicidio, & aliis peccatis, quæ in proximum committuntur; quippè perjurium tendit directè contra divinum honorem. S. Thom. Quodlib. 1. art. 18.

Sotus de Justit. & Jur. lib. 8. quæst. 2. art. 3. & alii, quos refert, & sequitur Sanchez in Decal. lib. 3. cap. 4. num. 37.

Sextò: Hinc nil difficilius, quàm conscientiz falsi testis mederi; eò quia tenetur retractare suam depositionem, & in hac retractatione imminet ei gravissimæ poenæ, & severa judicialis punitio ob crimen falsi. Jul. Clar. lib. 5. §. Falsum, & ibi Bajard. in addit. ubi sic ait: Crimen falsi est gravissimum: & nullum crimen est in mundo, quod ita vituperet famam, & statum hominis, sicut ipsum. Adèò ut si testis dolo malo deposuerit falsum contra innocentem in causa capitali, de Jure civili ultimo supplicio sit afficiendus, Cacheran. decis. 19. Riccius in Collect. 206 §. part. 5. & Antonell. de Regim. mil. Eccles. lib. 6. cap. 26. num. 8. ubi subdit, quod saltem ad trimes prævia fustigatione sint damnandi falsi testes. Diana part. 4. tract. 7. resol. 16. Quæ in Coordinato est tom. 5. tract. 12. resol. 16.

Septimò, Itaque, qui falsum testimonium cum Juramento protulit in judicio in damnum innocentis, absolvi à Confessario in foro penitentiali non potest, nisi prius vadat ad iudicem, & se retractet, etiam si, (quod terribile est, & horrorem incutit cuicque,) ex sua retractatione debeat subire vel mutilationem membrorum, vel ultimum supplicium; tunc scilicet, quando ob suum perjurium similis poena esset infligenda innocenti, ut ex Valentia, Bannes, Azorio, Molina, Filliuccio, & Bonacina docet Tamburin. in Decal. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 9. num. 6. Quapropter idem Tamburin. in Decal. lib. 9. cap. 3. §. 3. num. 21. in fin. rationem reddit de hoc dicens: Quia justitia requirit, ut in periculo equali, potius subeat illud damnum nocens, quàm innocens. Et concludit his minacibus verbis: Va testibus falsis! Quam obligationem si animarum Pastores frequenter exposuerint populis in suis sermonibus, iisdem terrorem, & horrorem tantum incurient, ut à crimine falsi, & à perjurio prorsus eos abstinere faciant.

Octavò: Tanto magis, si addiderint, eosdem falsos testes teneri ad restitutionem damnorum, quæ proximo resultant ex eorum falso testimonio. Jul. Clarus d. §. Falsum, num. 19. & Bajard. in addit. ibid. num. 66.

Nono: Ulteriùs, ob falsum Juramentum præstitum incurritur infamia Juris. cap. Infames 6. quæst. 1. & per consequens irregularitas, ita ut si ille, qui pejeravit in judicio, sit laicus, efficiatur inhabilis ad ordines, & ad beneficia consequenda; si vero fuerit clericus beneficiatus, privandus sit beneficiis. Garzias de benef. part. 11. cap. 10. num. 167. Thesaur. de Penis Eccles. part. 2. Verb. Perjurium. Vers. Quinta poena.

Decimo, & Ultimo: super falsis testibus, & Deum in testem falsitatis invocantibus ultio Divina severis punitionibus exardescit in præsentì vita, prout constat ex pluribus exemplis Annalium Cardinalis Baronii, ex Historiali Sylva Joan. Baptist. Matthæoli part. 1. lib. 5. cap. 1. Tit. 22. & ex Sermonib. familiar. Gennari Episcopi Veglenfis super Decalog. ad Secund. Præcept. quos legisse juvabit quemcunque Parochum, ac Confessarum ad eliminanda perjuriam, & amorem Veritatis in corde, & ore fidelium communiendum.